

R. 50 876



fol. 250-16

PURIOR AC SANIOR ECCLESIASTICA DISCIPLINA

IN ORDINE AD BENEFICIA,


Sive legitima veraque idea, quae de Beneficiis eorumque indole ac natura, & proventuum seu obventionum ipsorum recta distributione, atque simul de Beneficiatorum obligationibus debet omnibus, Ecclesiasticis praesertim, alta mente manere reposita,

Viginti expressa propositionibus, quarum veritatem publicè in perinsigni ac Regia Compostellana Universitate sustinebit, atque à reflexionibus contraria suadentibus vindicabit Pridie Kalendas Majas

D. Rudesindus Josephus de la Vega y Lobera,
SS. Canon. Professor, in Philosophia atque Civili Jurisprudencia Bacc. gradu insignitus, & à Dignissimo Rectore atque Doctoribus directionis individuus ad promoderandas Cathedras praesidentasque Theses facultate condecoratus.

PRAEVIO REQUISITO PERMISSU COMPOSTELLAE:

Apud *D. Sebastianum Montero & Frayz,*
in via vulgo de la Caldereria.
Anno ab V. C. CI. ICCC. XCV.



THE HISTORY OF THE
CITY OF BOSTON

FROM THE FIRST SETTLEMENT
TO THE PRESENT TIME
BY
NATHANIEL BENTLEY

VOLUME I
FROM THE FIRST SETTLEMENT
TO THE YEAR 1780
NEW-YORK
AND
LONDON
PRINTED AND SOLD BY
J. BENTLEY, 15 NASSAU ST. N.Y.
AND
J. JOHNSON, ST. PAULS CHURCH-YARD, LONDON.

1800

3
NUNQUID CUICUI SCRIPTURAS
Sacras, SS. Canones, Synodorum sive OEcumeni-
carum s. u. Particularium Decreta, Pontificum Res-
cripta, SS. Patrum Monumenta, Principum Edicta,
atque Celeberrimos tum Theologos tum JCtos.
Scriptores vel leviter attingenti, fas erit infra ex-
pressis thesibus praestare dissensum? Equidem sa-
ne nemini.

Non ergo mirum, si ipsarum veritatem pu-
blice sustinere velimus, atque etiam à reflexioni-
bus contraria suadentibus vindicare: SINT IGITUR

THESIS PRIMA.

SS. CANONIBUS inspectis, quin & jure Decretalium, at-
que ipsamet Beneficiorum institutione omne Beneficium requirit
personalem residentiam ac personale officium in illa Ecclesia, in
qua fundatum, vel erectum est: sive de simplicibus seu de du-
plicibus sermo sit (1). Equidem verum est, hodie aliam in-
valuisse opinionem, qua, qui simplicia possident Beneficia, à
personali residentia liberantur, dummodo, quae certo in loco
sacra officia ex fundationum tabulis celebranda sint, per substi-

(1) Thomassinus part. II. lib. 3. cap. 30. & seqq. & part. II.
lib. 3. cap. 6. & 34. Vanespen part. II. tit. 20. cap. 1. n.
3. Muratorius dissert. 71. Antiq. Italicar. Fleury discours. 3.
in hist. eccles. n. 5. Cavallarius part. II. tom. 4. cap. 44.
Berardi tom. II. dissert. 6. cap. 1. Rieger Inst. Jurispr.
Eccles. part. III. tit. 4. §. 49. & 76. Selvagnus lib. II.
tit. 18. §. 4.

4
tutum obeantur. Vcremur tamen nos, ne consuetudo isthaec, licet in causa sit, cur Beneficarii poenas legitimas non residentium evadant, possit illis satis tutum esse praesidium, quo gravi eximantur peccato. Haec consuetudo ex illis est, quae occasionem praebent violationi pactorum inter fundatores & Ecclesias initorum; quando fundatores in limine foundationis conveniunt de personali officio à Beneficario in certa Ecclesia peragendo. Haec consuetudo ex illis est, quae primigeniam aut antiquissimam Beneficiorum tributionem perpetuo canonibus confirmatam enervant, proindeque corruptelae potius, quam consuetudinis nomine indigitanda est (1).

THESIS SECUNDA.

QUAM personalem residentiam & personale officium quia eodem tempore idem in diversis & dissitis Ecclesiis praestare nequit, conrequens est eodem jure & attentata ipsa Beneficiorum institutione ipsorum pluralitatem sive multitudinem aut coacervationem esse generaliter interdictam (2).

THESIS TERTIA.

SICUTI omnes Beneficarii suis tenentur muneribus satisfacere, ita quoque Canonici coguntur Divinum Officium diurnum pariter ac nocturnum in Choro ad psallendum instituto reverenter distincte devote sine risibus & absque confabulationibus persolvere (3): Nonne cum magno Divini Officii dedecore conspicitur horas illas, quibus decantandis nullus est constitutus numerus à duobus tribusve passim cursim & sincopando decantari?

(1) Berardi tomo II. disert. 6. cap. 1.

(2) Thomassinus part. II. lib. 3. cap. 30. & seqq. Vanespen part. 2. tit. 20. cap. 1. Fagnanus in cap. ex parte de Cleric. non resid. n. 65. Berardi tom. II. dissert. 1. cap. 5. Cavallarius part. II. tom. 4. cap. 45. Rieger Inst. Jurispr. Eccles. part. III. tit. 5. §. 90. Selvagnus lib. II. tit. 19.

(3) Vanespen part. I. tit. 7. cap. 6.

Non quid qui diligunt decorem domus Dei, magno animi dolore videre coguntur Canonicos ex horis canonicis, quibus distributiones quotidianae sunt assignatae, pene absolutis quasi auferre, & ad plateas aut consortia confabulationis causa se conferre, interim illa Officii parte, quae distributione caret, neglecta (1).

THESIS QUARTA.

APTISSIMA erat vita communis, ut Canonicorum mores integri casti & ab omni labe immunes evaderent; sed quantevis in singularem transierit, (quem transitum vix ullum reperire est Scriptorem referentem, quin una quoque referat, deploret utpote ex eo secutam totius canonicalis disciplinae relaxationem (2)) debent Canonici à mundo & omni vitio abstracti unice Deo & Ecclesiae servire Divinum Officium praeter alia per se legitimo cessante impedimento, persolventes, prout asserunt innumera propemodum tum veterum tum recentiorum Synodorum decreta, tum probatissimorum Auctorum testimonia (3), quae contrarium usum tanquam merum abusum reprobant ex Canonicorum desidia atque superbia ortum.

THESIS QUINTA.

TENENTUR quoque Canonici omnibus anni diebus Choro interesse, quin ipsis permittatur absentia ad tres menses, (cui temporis spatio pessimum recreationis nomen tribuitur) quasi tanto tempore libere & licite abesse possint pro mero libitu; sed hoc sensu quod tribus possint abesse mensibus ex honestis iustisque causis, quae ipsorum conscientiae relinquatur examinandae (4); imò Tridentina Synodus (5) proprie nullum tempus ab-

(1) Vanespen part. I. tit. 7. cap. 8.

(2) Vanespen part. I. tit. 7. cap. 3.

(3) Vanespen part. I. tit. 7. cap. 6. Nicolaus Garcia de Beneficiis part. III. cap. 2. n. 498.

(4) Vanespen part. I. tit. 7. cap. 9. Cavallarius part. I. tom. 1. cap. 19.

(5) Trident. Synod. sess. 24. de refor. cap. 12.

sentiae dedit aut constituit; sed tantum prohibuit, ne longiori quam trium mensium spatio abessent: sive, ut ait Fagnanus, non processit concedendo, sed prohibendo.

THESIS SEXTA.

QUO autem possint Canonici Divinis Officiis cum omni devotione interesse, admodum opportunum existimamus, ut ipsi sedulo curent, ut omnes abusus, qui in templorum musicam irrepsere, eamque tam foede conspuearunt, eliminentur, prout eliminandos censuerunt viri etiam sancti, atque inter alios B. Aelredus Abbas Rhievallensis in Anglia S. Bernardo coaevus, qui in sui temporis musicam tanquam Divinis laudibus plane indignam acriter invehitur, ejusque vitia graphice depingit: „ Ad quid, rogo, terribilis ille folium flatus, tonitruum potius fragorem, quam vocis exprimens suavitatem? Hic succinit, ille discinit; alter supercinit, alter medias quasdam notas dividit, & incidit. Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc impingitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur. Aliquando, quod pudet dicere, in equinos hinnitus cogitur, aliquando, virili vigore deposito, in femineae vocis gracilitates acuitur.“ „ Nunquid quisque sibi id non semel accidisse, & frequenter accidere, cum Divinis Officiis musice decantatis interesse contingit, lubenter fatebitur (1) Progreditur Aelredus: „ Videas aliquando hominem aperto ore, quasi intercluso halitu expirare, non cantare, ac ridiculosa quadam vocis interceptione quasi munitari silentium, nunc agones morientium, vel extasim patientium imitari. Interim histrionicis quibusdam gestibus totum corpus agitur, torquentur labia, rotant oculi, ludunt humeri, & ad singulas quasque notas digitorum flexus respondet. Et haec ridiculosa displisio vocatur religio; & ubi haec frequentius agitantur, ibi Deo honorabilius serviri clamatur.“ (2). „ Nonne hic depictum quodammodo intuemur musicorum monstrorum or-

(1) Vanespen tom. III. disser. 3. de Horis Canonicis part. 1. cap. 4. §. 6.

(2) Aelredus spec. char. lib. I, cap. 23.

7
dinarium agendi modum? Et quidem eo vivacius, quo musi-
ca creditur nobilior ac solemnior (1).

THESIS SEPTIMA.

QUIN & subinde fit, ut leves ac lascivas vocum alternatio-
nes & infractiones sive musicam non sine cachinno atque
risu fideles auscultent: imo animo impuro ac lascivo ex-
cipiant. Pergit deinde Aelredus, Stans interea vulgus sonitum
follium, crepitum cymbalorum, harmoniam fistularum, tremens
attonitusque miratur, sed lascivas cantantium gesticulationes, me-
retricias vocum alternationes & infractiones non sine cachinno
risuque intuetur ita, ut eos non ad oratorium sed ad theatrum,
nec ad orandum sed ad spectandum aestimes convenisse: nec ti-
metur illa tremenda Majestas, cui assistitur, nec defertur mys-
tico illi praesepio cui ministratur, ubi Christus mystice panis
involvitur, ubi Sacratissimus ejus Sanguis calice libatur, ubi
aperiuntur coeli, assistunt Angeli, ubi terrena coelestibus jun-
guntur, ubi Angelis homines sociantur. Sic quod SS. Patres
instituerunt, ut infirmi excitarentur ad affectum pietatis, in usum
assumitur illicitae voluptatis. Non enim sensui praefendus est
sonus, sed sonus cum sensu ad incitamentum majoris affectus
plerumque admittendus (2). Quis, quaeso, vel paululum
attendens hodiernum populi concursum ad Ecclesias, in quibus
sciuntur Divina Officia musice variisque musicalibus instrumen-
tis solemniter decantanda, non fatebitur & hodiernos musicae
effectus graphice ab Aelredo fuisse expressos (3)? Eadem acri-
tate in musicae abusus invehuntur Religiosissimus Mediolanen-
sium Praesul S. Carolus Borromaeus (4), Sextus Emphyricus (5),

(1) Vanespen tom. III. dissert. 3. de Horis Canonic. part. I.
cap. 4. §. 6.

(2) Aelredus spec. char. lib. I. cap. 23.

(3) Vanespen tom. III. dissert. 3. de Horis Canonicis part.
I. cap. 4. §. 6.

(4) S. Carolus Borromaeus in Concil. Mediola. I. part. II. cap. 5.

(5) Sextus Emphyricus lib. VI. cap. 22.

Severinus Boetius (1), Maximus Tyrius (2), Eminentissimus Cardinalis Bona (3), & magnus ille Gandesium Praesul Wilhelmus Lindanus (4), ut quamplurimos alios & pios & eruditos praetermittam Viros.

THESIS OCTAVA.

CONSTANS est Ecclesiae disciplina, non tantum dixerim ab Apostolica aetate verum etiam à temporibus Christi Domini ad nostra usque saecula traducta, & perpetuo confirmata, juxta quam intelligimus, fructus quidem & obventiones honorum ecclesiasticorum erogandos esse in sustentationem clericorum, qui hac tenus causa hodie Beneficarii appellantur; verum enim vero, quod ex hoc usu superest, id totum in pias causas esse erogandum, praecipue in pauperum, quorum clerici compauperes sunt, alimoniam, non tantum ita suadente charitate, verum & ita urgente vera scilicet, ut vocant, commutativa justitia (5). Id jam suo tempore assererat S. Augustinus (6), sed verius adhuc dici hodie potest, quando Ecclesia pinguioribus affluit bonis, & in hac honorum copia in varias partes inter varios tributa ministros facile gliscere potest avaritia, ambitus, & lucri in dies majoris desiderium apud eos, qui plus aequo sibi blandiuntur. Quot numero sunt, qui Beneficarios beneficiorum fructuum dominos esse scripserunt? Quot numero, qui hanc opinionem factis exemplisque confirmarunt? Ipsa etiam nomina verenda, quae olim Divinis ministeriis tribuebantur

-
- (1) Severinus Boetius lib. 1. cap. 1.
(2) Maximus Tyrius sermo 21.
(3) Cardinalis Bona de Divina Psalmodia cap. 17. §. 3. n. 3.
(4) Wilhelmus Lindanus in Panopol. Evang. lib. IV. cap. 78.
(5) Thomassinus part. III. lib. 3. cap. 26. & seqq. Vanespen part. II. tit. 32. cap. 4. Bejardi tom. II. dissert. 6. cap. 3. Cavallarius part. III. tom. 4. cap. 40. Rieger Inst. Jurisp. Eccles. Part. 3. tit. 25. §. 376., 377., & seqq. Selvagijs lib. II. tit. 24.
(6) S. Augustinus scribens ad Valerium in can. 7. dist. 40.

tor, qualia erant nomina muneris officii oneris gravissimi & si-
 mila, immutata sunt, & , dicitur in duto vocabulo Beneficiorum,
 evanuerunt; nec aliter Beneficium apud eos, qui rerum certit-
 cem tantum considerant, intelligitur, quam si commodum ex-
 ret honor utilitas emolumentum non aliunde referendum, quam
 ex reductis Beneficiei fructibus. Siqui adhuc sunt, sunt autem
 non patet, qui SS. Patrum perenni adhaerent doctrinae, isti
 audire solent rigidiores scholastici, austeri quotidianarum rerum
 censors; Utinam non dicerentur etiam novatores! Sed tamen
 vera praedicant (1).

THESIS NONA.

AMPLIUS progredimur SS. Patrum doctrinae perpetuo in-
 haerentes, nobisque est persuasum, clericos, qui priva-
 tam possident patrimonium, à peculio ecclesiastico distinctum,
 suisque necessitatibus sufficiens, non posse ex ecclesiastico pecu-
 lio alimenta percipere: nullisque Beneficiariis permittimus, ut
 consanguineos familiaresve suos augeant, & ditent; sed tantum
 ipsis ut pauperibus aliquid tribuant (2). Nova prorsus vide-
 tur sententia ista plerisque ex nostris; at plane ex natura ec-
 clesiastici ministerii derivatur, & SS. Canonibus & Conciliorum
 atque Patrum doctrina consecrata est, quod plenissime Thomassinus
 Vanespen & Berardi demonstrare (3). De Conciliis si

(1) Christianus Lupus tom. II. scholiarum in canones pag. mili-
 a 318. Dionysius Corinthius apud Eusebium lib. 4. histor.
 ecclesias. cap. 23. Julianus Pomerius de vita contemplativa
 lib. II. cap. 9. Isidorus Pelusiota lib. I. Epist. 4. Petrus Blo-
 tentis in epist. 15.

(2) Capitularia Regum Francorum in addit. lib. III. cap. 76.
 & seqq. Julianus Pomerius de vit. contemp. lib. II. cap. 10.
 Gerardus du Bois hist. ecol. parisiens. tom. II. lib. 16. cap.
 7. Joannes Lannojus de cura ecel. pro miseris cap. 4. Caval-
 larius part. II. tom. 4. cap. 40. Selvagus lib. II. tit. 24.

(3) Thomassinus part. III. lib. 3. cap. 4. & seqq. Vanespen
 part. II. tit. 32. cap. 3. Berardi tom. II. dissert. 6. cap. 3.

10
quis dubitet, adeat Rhemense Concilium, cuius extat fragmen-
tum in cap. 14. de pœcul. cleric.: adeat quoque Concilium
Romanum Eugenii II. Concilium Aquisgranense anno 816. can.
707. Concilium VI. Parisiense can. 15., Concilium III. Turo-
nense cap. 10. Concilium II. Cablicense can. 6., Aquisgra-
nense II. cap. 2., Meguntinum anno 847. can. 4., Vormaciens-
se anno 868. can. 7., & Concilium Triburiense anno 895. can.
13., atque Nannetense in can. 10., post quae potest alia bene
multa adire. Si veteres Ecclesiae Patres consulantur, nemo in-
venietur, qui huic sententiae refragetur; multi è converso, qui
eam ajente tradiderint. Quicumque contra sentiat, is, se Deo
placet, mœnumentum adferat veterum Conciliorum Pen-
itencium aut Patrum, quod suae opinioni possit esse praesidium;
etsi vel unicum tantum attulerit, profiteamur nos palmam cesso-
ros: adeo nobis est persuasum, ne leve quidem argumentum exin-
de capi valere (1). Et revera tanta apparet in Canonibus &
Conciliis ac SS. Patrum dictis pro hac nostra sententia eviden-
tia, ut incredibile non sint centuriam sententiam ab aliquo fuisse
asseritam, nisi postquam saeculo XII. adparvere Doctores Scho-
lastici, qui magis proprio iudicio & rationi naturali, quam Ca-
nonum ac Patrum auctoritati innitentes, eam sustinere coeperunt
(2): sed sententia eorum indulget genio. Quod ergo mirum,
si per omnem ora volitarit (3)? Quamplurima, quibus vanus
Ecclesiasticorum praetextus insumendi Beneficiorum proventus si-
ve pauperum patrimonium in luxum in vanitates usque super-
fluos aut profanos secundum saeculum detegitur, latius deduxit,
ejusque absurditatem solidissime refutavit nominatissimus ille Bra-
carensium Archi-episcopus Bartholomaeus de Martyribus, qui tanta
cum gloria & omnium admiratione Tridentinae Synodo assistit:
Archi-episcopus Bartholomaei, cuius & sanctitatem & constantiam
ben. possunt non mirari, totus discursus aliaque ea occasione
dicta vigore & sancti Spiritus unctione plena referuntur in ipsius
vita galice scripta lib. II. cap. 20. Utinam omnes Praelati ac

(1) Berardi tom. II. dissert. 6. cap. 3.

(2) Vanespen part. II. tit. 32. cap. 13.

(3) Cavallarius part. II. tom. 4. cap. 40.

11
Ecclesiastici, quibus hujus discursus sit copia, P. Fr. Ludovici
Granatensis aures habeant ad audiendum & cor ad intelli-
gendum!

THESIS DECIMA.

PULCHERRIMA haec à nobis in anterioribus thesibus ena-
rrata Beneficarii executioni mandabunt, si tales se exhi-
beant, quales ecclesiastica exigit hierarchia: quapropter operae
praetium judicamus, in id, verbis utimur Benedicti XIV. omnium
retro R. Pontificum sapientissimi, Episcoporum mentis aciem
primum esse dirigendam, ut cum adcurato delectu in clericali
adscribantur militiae, à quibus merito pos sit expectari, ut iis
in lege Domini ambulantes, & de virtute in virtutem eunti-
bus, eorum vita cunctis adferat venerationem, & eorum ope-
ra Ecclesiis spirituales adferat utilitates. Praeterea Episcopi pa-
riter ac Patroni caeterique Beneficiorum Collatores sedulam na-
vabunt operam, ut in constituendis Ecclesiae ministris omnem
simoniam ac personarum acceptionem distributivae justitiae op-
positam, atque simoniae maxime affinem semper vitent: igitur
nec perfunctorie nec ex carnali affectu debent procedere; sed
Ecclesiae bonum attendentes Dominicique gregis & animarum
Christi sanguine redemptarum pretium satis aestimantes semper
curabunt anteferendos digniores minus dignis, etiamsi isti sint
sui aut familiares aut consanguinei (1): aliter cum clerici
saeculi spiritu agitentur, & Quid mirum, si hic in loco Beneficii
non moretur, iste proventibus abutatur, alter consanguineos suos
augeat, & multum dicit, & alter plura exoptet nancisci & coa-
cervare Beneficia? Nunquid Episcopos latebit ulcus hoc alte li-
teque serpsisse, & prae summa acerbitate totum simul curationi
non cedere? Sciant igitur sua interesse, ut exitiosioribus malis
interim medeantur, tantisper dilata minorum morborum medi-
cina (2).

- (1) Vancspen tom. III. tractatu de Simonia &c. part. I. cap.
9. §. 6. Rieger Instr. Jurispr. Eccles. part. 4. tit. 3. §. 372,
& seqq. Wiestner ad tit. de Simonia.
(2) Cavallarius part. II. tom. 4. cap. 44., & 45.

THESIS UNDECIMA

EQUIDEM fatemur quae à nobis dicta sunt, quibusdam Beneficiariis non placere: sed hi quia avaritiae nimis vellicantur, eam conantur variis obumbrare palliis. Pulchre quoque callemus Scriptores aliquos quamvis non ita celebres huic Beneficiariorum perverso cogitandi modo suffragari; at hi Decretalium Interpretes cum unice fere materiam Beneficiariorum tractent in ordine ad forense iudicium, frequenter contingit, ut vilem ac indignam de ecclesiasticis Beneficiis imprimant ideam: non enim distinguere satis solent forum externum inter & internum, saepius licita pronuntiant, quae quidem in foro fori impugnantur aut irritari nequeunt; at in foro poli, id est conscientiae, saepiusque sunt illicita. Horum Interpretum lectionem Studio Juris non admodum utilem censemus, nisi eam aliorum librorum lectione, ex e. SS. Scripturarum SS. Patrum, vel SS. Canonum opportune temperent (1);, salubrius enim ac securius creditur, ac paratur dictis Sanctorum, per quos locutus est Spiritus Dei, quam Scholasticorum quorundam, qui suo magis, quam expedit, credunt, & nituntur ingenio auctoritatem Sanctorum ad suam retorquentes opinionem. Verba sunt Dionysi Charusiani (2), quae maxime perspecta habere celeberrimi quoque Theologi & Canonici juris consultissimi, quales sunt isti, quorum utimur auctoritate in notis his nostris thesibus suppositis, quorumque continuam lectionem omnibus, qui in SS. Canonum scientia maximos velint experiri progressus, & purioris ecclesiasticae disciplinae sint studiosissimi commendamus.

THESIS DUODECIMA.

UNA haec est via, qua seligantur optimi ecclesiarum administrati, quos non ambitus, non avaritia, non lucri cupi-

(1) Varespen tom. III. tractatu historico-Canonico part. 10. cap. 2. §. 4.

(2) Dionysius Charusianus in tractatu de vita Canonorum artic. 24. §. 3.

ditas, non amor privati peculii, non cognatorum affectio faceret, sed amor Dei, sed sobrietas, sed vigilantia, sed religio, ac pietas, sed virtutes universae. Nunc amabo conferatur utrumque systema, nimirum & illud, quod modo à nobis ex SS. Canonibus, Conciliis, atque SS. Patrum doctrina stabilitum est, & illud, quod stabilire student nonnulli, multam Beneficiariis indulgentes in administratione peculii Clericalis. Ex priore nihil aliud imminet periculi, quam quod apud bonos in desiderio est. Ex posteriore, pro bene Deo quot in Ecclesiam derivant detrimenta! Ubi Beneficium vacat, agmen accurrit Clericorum suae studentium utilitati. Apud hos etiam datur voluntas Deo & Ecclesiae serviendi, concitatur tamen animus praecipue ex amore peculii: ubi uberiores sunt redditus, & pauciores sollicitudines, ibi conatus ingeminatur, ut, quod petitur, impetretur. Importunae preces cientur, amicorum aut potentiorum interponuntur officia, personarum acceptioni aperitur aditus: Utinam non simoniae turpissimae aliquando esset locus! Collator Beneficii numero postulantium ac multitudine pressus discernere vix potest, qui sit dignior, qui prae caeteris antehabendus: omnia dijudicantur privatis adfectionibus, & Ecclesiarum utilitas postrema est collationis faciendae ratio. Qui de inde Beneficium obtinuit, non gratis dat, quod non gratis accepit (1) Hinc ambitus, hinc avaritia, hinc privati amor peculii, hinc accumulationes & rixae, inter quas universus luget clerus se à primaevo decore cecidisse: hinc & templorum incultae fabricae, hinc lites & iurgia inter clericos & clericos, quorum unusquisque sollicitus reditur de amplificandis sui Beneficii juribus, hinc pauperum cura negligitur, hinc in ipsa sacrorum administratione in proventus in oblationes oculi intenduntur, hinc luxus, & epularum splendor, hinc studium plurima obtinendi Beneficia, hinc cura traslationum de una in aliam ditiozem Ecclesiam, hinc vitia universa. Nos sane pro certo habemus, ex hoc posteriore uno systemate repetendam esse morum corruptionem, quaecumque agnita in clero fuerit, non alia ra-

(1) Novella VIII. in fine principi.

(2) Berardi tom. II. dissert. 6. cap. 3.

tione avocandam, quam si nostrum, quod Ecclesiae semper fuit, systema in clerum reducat, instauretur, confirmetur (1): dummodo, haec ita non eveniat, jam possumus adversus Beneficiarios sic cum S. Bernardo exclamare: „Vae, vae, tibi clerico, mors in olla, mors in ollis carnum, mors in ejusmodi delictis, non modo quia secus introitum delectationis posita esse cogno citur, sed ob id maxime quia constat populi esse peccata, quae comedis. Sumptus ecclesiasticos gratis te habere reputas? Cantando, ut ajunt, bona tibi provenire videntur, sed bonum erat magis federe, aut etiam mendicare.“ (2) Paucis concludimus, quoties SS. Patrum disciplina, explosis quorundam opinionibus vere novis, restauretur, tum bona summa in clerum derivatura: atque vel hoc ex uno capite conatus omnes à cordatis viris esse impendendos, ut, quoad fieri possit, illa renovetur, seminetur (2).

(1) S. Bernardus in exclamatione super illud: „Ecce nos reliquimus omnia.“ &c.

(2) Berardi tom. II. disert. 6. cap. 3.

POSTERIORES HAS PROPOSITIONES, quae ad Beneficiorum provisionem spectant, non indignas, quae typis mandentur, existimamus, quapropter eas ita paucis exprimere operaepretium duximus.

PRIMA PROPOSITIO.

ECCLESIA semper optavit, nec semel indixit, ne Clerici extranei & Peregrini propriis civibus aut incolis & oriundis ad Dignitates & ecclesiastica Beneficia praepouentur.

SECUNDA PROPOSITIO.

VERUM enim verò nullibi Canonica Sanctione lata legimus irritas Dignitatum Beneficiorumve collationes in Clericorum Peregrinorum compendium factas.

TERTIA PROPOSITIO.

ITAQUE Episcopo potestatem non denegamus Beneficium conferendi Clerico Peregrino absque sui Episcopi commendatiis litteris sive dimissoriis.

QUARTA PROPOSITIO.

IMO enim verò Clericus Episcopo inferior, jure gaudens privilegiato, Clericos Peregrinos sive praesentare, seu instituire potest in sua Ecclesia de conscientia tamen Episcopi & assensu, intra cujus dioecesim sistat Beneficium, ut in Canone. **TE NOBIS PROPONENTE**, 4. de Clericis Peregrinis, quem in sensum apperte alienum confidenter laudatum nuper audivimus patienter.

QUINTA PROPOSITIO.

CLERICORUM autem Peregrinorum nomine intelligendi illi veniunt, qui minime de dioecesi sunt oriundi, aut illius Episcopi non subsunt jurisdictioni, ubi est Beneficium situm.

SEXTA PROPOSITIO.

TANDEM praedicta tum valere intelligimus quum caetera concurrunt, quae tum in ordinantibus & praeficientibus cum & in ordinandis & praeficientis Sacrae exposulant Sanctiones.

SEPTIMA PROPOSITIO.

PRAETEREA, ut hucusque dicta valeant, opus erit, ne obviet alicubi Beneficiorum erectio, speciale statutum, si-
ve concordatum Apostolica Sede seu confirmatum
sive admissum.

OCTAVA PROPOSITIO.

PORRO, quod ad Hispaniam attinet, REGES nostri verè Catholicæ, vere Patriæ Patres, amore & pietatis præcepto studio suos erga Naturales impulsî, dignique proinde, quos maxima veneracione adfectioneque summa adeo persequamur, ut, quem necessitas exposulabit, sanguinis etiam ad postremam usque guttam effusionem patiamur, adeoque mortem lubenter amplectamur, jure optimo dudum jam cavere, ne Dignitates atque Beneficia Regni exteris aut alienigenis à quibusque conferri possent, aut ab eis provisi à quoquam admitti; sed Naturalibus tantum aut ex Regno ipso oriundis deberent conferri: hoc unice excepto, nisi ex justissima ac evidenti causa per SUPREMUM REGIUM SENATUM prius cognita & probata, & à tergo subscripta extero alicui juris Patrii Publicæ Litteræ (vernaculo sermone Carta de Naturaliza) per REGEM fuerint concessæ, quod quidem privilegium, sane equidem nunquam satis laudandum, Naturalibus seu Originariis concessum suadent Leges Partitt. Ordin. & præsertim Recopilat. Leges 14. 16. 17. tit. 3. lib. 1.; ubi etiam Sixti IV. Pontificis Maximi Bullæ fit mentio, dictum privilegium in hujus Regni Naturalium gratiam roborantis, comprobantis, firmantis, ratum habentis.

E Cathedra opportune suggeret D. D. MELCHIOR PETRUS RODRIGUEZ DEL CORRAL, Doctorali laurea in SS. Canonibus insignitus, Comp. Universitatis & Gremii & Claustrî, Canonicarum Institutionum Cathedrae perpetuus necnon Regius Antecessor, atque in isto Gallicia Regno suffragans Jureconsultus.

PRO CATHEDRA.

SEPTIMA PROPOSITIO.

